

1.51.9

*Imp. Theodosius et Valentinianus AA. ad Taurum pp.*

Si post depositam administrationem iudicum praesentiam vel exhibitionem domesticorum querimonia provincialium aut curialium vel aliqua publica necessitas postulaverit, per eosdem administratores, quorum domestici fuerint, iudicio legibusque tradantur.

*D. V non. Iul. Constantinopoli Theodosio A. XIII et Maximo cons. [a. 433]*

1.51.10

*Idem AA. Florentio pp.*

In consiliariis observari censemus, ut in eum, qui in sua provincia ultra quattuor menses moderatoribus adsederit adversus leges antiquas et divorum retro principum scita, proscriptio bonorum et accusatio publici criminis immineat, nisi per caeleste oraculum vel amplissimae tuae sedis praeceptionem sese defendat.

*D. XIII k. Febr. Theodosio XVII et Festo cons. [a. 439]*

1.51.11

*Idem AA. Zoilo pp. Orientis.*

Non parum adsectoribus magistratum maiorum quam ipsis iudicibus nostrae benivolentiae liberalitas tribuenda est. ideoque consiliarios virorum illustrium praefectorum tam praetorio quam huius inclitae urbis eminentissimorumque magistrorum militum nec non etiam viri illustris magistri officiorum, sive praedicto officio iam functi sunt seu fungentur in posterum, post depositum etiam officium ab omni indictionis onere seu civilium seu militarium iudicum prorsus immunes esse praecipimus, ut nec ab amplissima quidem sede tui culminis eis ulla molestia super suscipiendo quolibet gravamine penitus iniungatur: quinquaginta librarum auri officio tui culminis damnatione multando, si quid adversus statuta clementiae nostrae innovari concesserit.

*D. V k. Mart. Theodosio A. XVIII et Albino cons. [a. 444]*